

terea, quod Episcopi munus est, ut domui suæ bene præsit, diligentissimus fuit accuratissimusque: quam in rem, ut administratorum Villicorumque fidem exploraret, visus subinde sumpto mercatoris habitu villas in diœcesi incognitus obire, & minuta etiam in villis emendare. Sed idem largissimus in pauperes. Nam ut Auctor vitæ retulit, in domo regia quotidie per omnem vitam convocatis egenis stipem cibosque erogari iussit, quæ domus ob id, cum post urbs tota anno MLVIII conflagraret, sola cum domo forensi intacta mansit, Magnum per id tempus studium & certamen inter Episcopos in fovendis pauperibus, quemadmodum D. Bernwardus Meinverco æqualis centum quotidie pauperes in mensa habuit. Et tamen Fabricius & hæretici ex hoc sæculo nobis degeneres Episcopos falso obtrudere audent, ac scribere, nullam egenorum, nullam hospitem fuisse curam, sed cupidine bonorum omnes repletos vixisse. Legant illi Adamum Bremensem & Helmoldum; legant factos resque gestas singulorum Episcoporum, & longè aliud deprehendent ex tot Xenodochijs Episcoporum liberalitate conditis.

Incognitus obit ac perlustrat diœcesin. Pauperes quot diebus reficit.

Accedunt ad has Meinverci virtutes præclara pietatis opera, & posteritatis monumenta. Nam postquam Episcopi opes tot bonis & possessionibus, clerum, quem exiguo censu dotatum reperit, tot prædijs auxisset, Urbem quoque Paderbornensem, quam incendio deformatam ingressus est, veluti ex lateritia marmoream fecit. Nam primò Basilicam è fundamento novam, opere prorsus magnifico, extruxit, & Collegium Canonorum Cathedrale reparavit: deinde Cœnobium Abdinghovianum introductis primùm religiosis viris è familia D. Benedicti, post Collegium Canonorum Bustorfianum condidit, utrumque ex hereditarijs & conquisitis bonis largissimè dotatum. Binæ præterea ædes sacræ D. Alexij ac Bartholomæi opere Græcanico ab eo erectæ dotatæque annuo Sacerdotum censu; adhæc domum Episcopi, quia malè materiata invenit, novam extruxit; demum ipsam urbem cum malè munitam reperisset, novo per circuitum muro munivit, quod & Bremæ, Hamburgi, Hildesij, Mindæ, atque alijs civitatibus per id tempus factum; ut vel inde ex annalium memoria recognoscas, huiusmodi Urbes & Metropoles in Episcoporum jurisdictione & potestate à primis suis initijs & incrementis fuisse. Urbem deinde, quam civibus & mercimonijs florentem habuit, optimis legibus firmavit, & si quos inter cives atque incolas indigentia laborare comperit, hos ultro liberalitate occupatos juvit.

Monumenta Magnificentiæ sacræ à S. Meinverco relicta.

Pari cultu studioque per diœcesin exornatæ parochiæ templis, & sacris ædibus à Meinverco exstructis, quas inter memoratur Ecclesia ad meridiem haud procul ab urbe in Sudborgnen, quæ Meinverci simul impensis è solido lapide constructa; ne incolæ forenses in urbe Ecclesiam frequentare necesse haberent, quam Successor in honorem D. Galli consecravit; At longè illustriora sunt ornamenta sacrorum

Sacra dona templis illata à B. Meinverco.